



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XVII. Incipit tractari de malis & damnis, quæ peccatum mortale animæ infligit; ac præsertim, quomodo per illud anima à Deo separetur, eamque Deus à se repellat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

damque peccati malitiam, & ad poenitentiam de eo agendam; utque à timore poenae ascendamus ad timorem culpae, qui filialis timor est, & ad amorem legis Dei, impletionisque voluntatis eius, qui est amor amicorum, quibus consortium eiusdem Dei in ipsius gloria promittitur.

Incipit tractari de malis, & damnis, quae peccatum mortale animae infligit: Ac praesertim quomodo per illud anima à Deo separetur, eamque Deus à se repellat.

C A P. XVII.

Quando homo Fidelis voluntati Dei obedit, eiusque mandata exequitur, unitus cum Deo, & eminentissimo quodam, valdeque singulari modo una, & eadem res cum ipso est. Ita S. Paulus testatur, dicens: *a Qui adhaeret Domino, amando eum, & illius legi se submitiendo, unus cum eo spiritus est: id est, spiritualiter unum cum eo fit, unius eiusdemque cordis, eiusdem sensus, unius*

a 1. Cor. 6. 17.

volun-

voluntatis, participatq; de ipsius virtute, de ipsius spiritu, & de ipsius diuinitate. Neque solum cum Deo spirituali modo vnitus est, sed etiam eum intra cor suum habet pro hospite, habitatoreque perpetuo, pro suo patrimonio, pro suis diuitijs, pro thesauro suo, & pro omni suo bono; quemadmodum ipse Dominus affirmavit, dicens: *a Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & hic, & ego ad eum veniemus*, neque solum eum visitabimus, manebimusque cum eo, tanquam hospites transeuntes, sed *mansionem* nostram firmam, stabilemque *apud eum faciemus*; & tanquam in viuo templo, diuinitati nostrae consecrato, & in horto nostrarum voluptatum, quantum ex parte nostra erit, in eo habitabimus. Res magna felicitatis, & altissimae gloriae est, quod iustus hoc modo cum Deo per Fidem, & amorem vnitus sit, habeatque ipsum hac ratione animae suae habitatorem. Et sic Angelus, qui

a Ioan. 14. 23.

Ge-

Gedeoni apparuit, nesciuit eum al-
 meliore, quàm hac re honorare, an-
 mareque, dicens illi: *a Dominus te-
 cum, virorum fortissime.* Et Gabriel An-
 gelus Virginem salutans, non habuit
 gloriosiora verba, quibus dignitatem
 eius manifestaret, ipsamque veneraretur,
 & extolleret, quàm quod dice-
 ret: *b Dominus tecum* per abundan-
 tissimam gratiam, quàm plena es. Hoc
 modo si homo iustus cum Deo sit vni-
 tus, admodum diues est cælestibus di-
 uitijs, quia possidet Deum bonum infi-
 nitum, & infinitum omnium diuitia-
 rum, bonorumque preciosissimorum
 gratiæ, & gloriæ fontem. Atque hoc
 declarauit Christus cuidam Episcopo,
 dicens ei: *c Suadeo tibi emere à me au-
 rum ignitum probatum, ut locuples fias.*
 Aurum hoc charitas est, quæ vnit ani-
 mam cum Deo, eamque facit habita-
 tionem Dei; & hoc per pœnitentiam
 acquiritur, perque bonorum operum
 meritum augetur. Et iustus homo cum
 Deo

a Iud. 6. 12. b Luc. 1. 28. c Apoc. 3. 18.

Deo vnitus, non solum diues est spiri-
tualibus, ac caelestibus diuitijs, sed etiã
valde securus, & liber ab omnibus vi-
tæ huius malis, ac damnis, quoad hæc
peregrinatio patitur; quia Deus, qui in
ipso est, eum protegit, defendit, & li-
berat ab illis omnibus: Iam quod Da-
uid canit, dicens: *a. Deus est in medio*
Ecclesiæ suæ, & animæ iusti; quæ pro-
inde non commouebitur, vt gratiã, quam
habet, excidat, & diuinum, quod pos-
sidet, bonum amittat, quia adiuuabit
eam Deus manè diluculo, & valdè effi-
caciter, temporeq; conuenientissimo.
Propter hanc causam Deus iustos, quos
confortare, animare, & ab omnibus
humanis timoribus liberare, & quibus
magnam sui remedij fiduciam dare
vult, hoc bono nuncio beat, quod sit
eum eis vnitus; vt hinc cognoscant,
se ab eodẽ Domino, qui omnipotens,
& infinitæ bonitatis est, valde prote-
ctum, defensumq; iri. Cum Philisthæi
Isaacum persequerentur, & ipse dam-
num,

a. Psal. 41. 6.

num, quod ei inferre poterat, timere
dixit ad illum Deus: *a Noli timere*,
Isaac. Et cur non timeat, Domine, ha-
bens potentes inimicos? Respondet
quia ego tecum sum; & qui Deum secum
habet, non habet causam timendi ho-
mines, qui sine Deo nihil nocere pos-
sunt. Et mittens Deus Moysen in E-
gyptum ad educendū vniuersum po-
pulum Israēl de Pharaonis captiuitate,
cum hæc expeditio Moyfi impossi-
bilis, magnisque plena periculis esset,
dixit ei Deus: *b Noli timere*, quia ego
ero tecum. Hoc sufficit, vt non timeat
omnes potentes mundi. Et per Isaiam
volens suo fideli populo, & cuius ser-
uo suo robur, ac vigorem contra om-
nes aduersitates, & persecutiones ter-
ræ, principumque tenebrarum dare,
ait: *c Seruus meus es tu; ne timeas*, quia
ego tecum sum. Ecce quantum sit auxi-
lium, quod iustus à Deo habet, quia
cum ipso vnitus est, & quanta sit fortitudo,
quā per hanc vnionē idem Deus
illi

a Genes. 26. 24. b Exod. 3. 12. c Isa. 41. 10.

illi cōmunicat, Ad hæc quia iustus cū Deo est vnitus, magnoperè de perfectionibus eiusdē Dei participat: quemadmodum enim corpus, quia cum animâ naturaliter vnitum est, vitam, fortitudinem, pulchritudinem, leuitatem, habilitatemq; illius participat, sic anima, quia est supernaturaliter vnita cū Deo, participat vitam, fortitudinē, sapientiam, bonitatē, consolationem, & gloriam diuinitatis ipsius Dei. Hoc significauit S. Ioannes, dicens, iustum societatem habere cum Deo. *a* Hoc, inquit, *annunciamus vobis, ut & vos societatem habeatis vobiscum, & societas nostra sit cum æterno Patre. & cum Filio eius IESV Christo.* Socij, inter quos valdè arcta societas incercedit, per familiariter conuersantur, mutuè se se iuuant, in actionibus, bonisq; communicant, se inuicē consolantur, alter alterius bono lætatur, sumamq; inter se fidelitatē colunt: sic iustus, qui societatem cum Deo habet, conuersatur cum Deo, &

Deus

a 1. Ioannis 1.3.

Deus cum eo, multum ab ipso ad omnem rem bonam iuuatur, cooperatur Deo, consentit cum eo, & communicat in bonis cum Deo: quod enim iustus, quia iustus, facit, est ad gloriam Dei, & omnia gratia, gloriaque bona quae Deus habet, sunt propter honorem iustum, qui ea de pia illius manu accipit: ipse delectatur in Deo, & Deus gaudet eum amare, ei que benefacit: ipse est fidelis Deo, seruans eius legem, & omnia que creata, ne illum offendat, amittens; & Deus erga ipsum fidelis est, non eum deserens, nec derelinquens, sed orationes illius exaudiens, promissiones suas implens, fauoresque efficacissimos ei porrigens. Et hoc totum bonum inde procedit, quia iustus cum Deo vnitus est: quare magna ratione David dixit: *Mihi adherere Deo meo, vniri cum ipso per fidem, & amorem, bonum est: ponere in Domino Deo omnem spem, ac fiduciam meam.* Cum res tam alta, Deoque tam gloriosa, & tantae dignita-

α Psal. 72. 28.

gnitatis, vtilitatisque pro animâ sit, ipsam hoc modo cum Deo vnitâ esse, idcirco tanta est peccati mortalis malitia, & gravitas, quæ hanc charitatis vnionem destruit, & hoc gratiæ vinculum, spiritualemq̃ societatem, quam anima cum Deo habet, rumpit. Neque ad hunc effectû multis peccatis mortalibus, neque in eorum quibusdam perseverantiâ opus est, sed vnicum, mortale peccatum momento per solum consensum commissum sufficit ad edendam hanc stragem, & hunc tam lamentabilẽ casum, & ad hoc tantum malum, ac damnum, hancque tam enormem læsionem faciendam. *a* *Iniquitates vestrae*, inquit Isaias, *diuiserunt vos, & Deum*: hæ separârunt vos à Deo, feceruntque Deum à vobis separari. *b* Et alibi loquens Deus per eundem Prophetam, *Quis est, inquit, liber repudij, quo meâ voluntate dimisi à societate meâ Synagogam, matrem vestram? aut quis est creditor, cui vos, quòd*

I sol-

a Is. 59. 2. *b* Is. 50. 1.

soluendo non essetis, *vendidi?* Certe
 nec talem libellum, nec talem creditum
 rem inuenietis; nam ego, quantum
 me est, noluissem dimittere vos, nec
 vendere; sed *iniquitates vestrae* sunt,
 quibus *venditi estis* inimicis vestris,
scelera vestra fuerunt causa, cur vos
 me *dimiserim*. Res hæc ingentis terro-
 ris, & incomparabilis timoris est, quod
 cum iustus tam arctâ vnione cum Deo
 vnitus sit, & tantoperè ab eo cælesti-
 bus auxilijs foueatur, donis ipsius lo-
 cupletetur, perque amicitiam eius, ad
 societatem adeò exaltetur, eodè postea
 momento, quo peccatum mortale fa-
 cit, ipsum Deus separet, & repellat
 societate, & amicitiam suam, longiusque
 à se proijciat, quam sit cælum à terra
 & beatorum gloria à poenâ damnato-
 rum: neque enim maior est distantia
 quam quæ inter Deum, infinitam boni-
 tatem, & peccatum mortale, sum-
 mam malitiam, intercedit. Atque ad
 hoc significandum dixit Christus de
 filio prodigo, qui est peccator, enim

peregrè in regionem longinquam, a & à
paternâ domo valdè remotam profe-
ctum esse. Non potest peccator se elon-
gare à Deo per distantiam localem,
cum Deus cum totâ Maiestate suâ sic
in omni loco; sed separari, multumque
à Deo elongari dicitur, quia magno-
perè ab eiusdem Dei amicitia, & gra-
tiâ separatur, itaque longè ab eâ abest,
vt ipsi impossibile sit, omnibus suis
naturalibus viribus illuc reuerti, nisi
Deus supernaturali vi eum reuocet;
adeoque, quantum ex parte hominis
est, diuisio, quam facit peccatum, est
æterna. Dicitur etiam peccator valdè
longè esse à Deo, propter morum dif-
similitudinem; sicut enim vitæ sancti-
tas iustos Deo persimiles facit, sic ini-
quitas facit peccatores Deo in mori-
bus admodum dissimiles, & contra-
rios. Declarat hoc S. Augustinus his
verbis: *b Deus ubiq; præsens est, & non
solum uniuersitati creaturæ, verum etiam
cuilibet parti eius totus pariter adest.* Hig.

I 2

ab

a Luc. 15. 13. b D. Aug. epist. 57.

ab eo longè esse dicuntur, qui peccando
 dissimillimi facti sunt: & hi ei propinqua-
 re, qui eius similitudinem piè viuendo re-
 cipiunt. Sicut rectè dicuntur oculi tam
 esse ab hac luce longiùs, quanto fuerint ca-
 ciores. Quid enim tam longè est à luce
 quàm cecitas, etiamsi lux præsto sit, atque
 oculos perfundat extinctos? Propinqua-
 autem luci meritò perhibentur oculi, et
 sanitatis accessu, aciem recipiendo, lucem
 recipiunt. Hæc S. Augustinus. Atque
 hic est peccati effectus, separare, & e-
 longare homines à Deo.

*Exemplo sacra Scriptura istud con-
 firmatur.*

C A P. XVIII.

SAul fuit per aliquod tempus vir ius-
 tus, humilis, & Dei præceptis obe-
 diens, atque vt talis, in regem Israël
 electus. Cum Deus ipsi præcepisset, ut
 pugnaret contra Amalecitas, nec quicquam
 viuum relinqueret, iuit, & per
 pietatis speciem Agag regem, nec non
 animalia quædam pro sacrificio viuam
 reli-